Ki
3444

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-113467-p0001-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-113467-p0002-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-113467-p0003-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-113467-p0004-2

*TRACTATUS JURIDICUS*,

DE

# PERPETUA HASSIÆ SUPERIORIS COLONIA,

*EDITUS*

AB

**EDUARDO HENRICO GRUSEMANNO,**

*MARBURGENSI*,

ANNO SALVATORIS

CIↃIↃCCXXXV.




*MARBURGI CATTORUM*,
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MüLLERI, ACAD. TYPOG. ET BIBLIOP.

P. 259
Hi 3444
KOENFRIED UNIVERS. ZV HALLE

*AUGUSTISSIMO*
*AC*
*POTENTISSIMO PRINCIPI*
*ET*
*DOMINO*

DOMINO

# FRIDERICO,

SVECORUM,
GOTHORUM,
ET
VANDALORUM

# REGI,

HASSIARUM
LANDGRAVIO,
RELIQ.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-113467-p0007-9

# AUGUSTISSIME
## ATQVE
# POTENTISSIME REX,

Majeſtatem armis decoratam & legibus armatam eſſe oportere, oſtendunt, AVGVSTISSIME ET POTENTISSIME REX, præter Heroica, ubivis terrarum nota, Clariſſimæ ac Maximæ Tuæ Virtutes, quibus ita excellis, ut merito hodie omnes Reges,

atque

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-113467-p0008-4

atque Principes, non ad intuendum tantum, ſed & ad imitandum, ac ſequendum, præclarum omnis pietatis, juſtitiæ, prudentiæ, integritatis, fortitudinis, ac conſtantiæ exemplum, in Te maxime Sibi propoſitum eſſe libenter agnoſcant, ac ſtatuant. Et inter alia, ad bene, beateque vivendum, Principum apprime juſtitiam neceſſariam eſſe, Clementiſſime conſideraſti. In hujus omnino recta adminiſtratione totius Reipublicæ ſtatus feliciſſime conquieſcit: quamobrem infinitas fere ſalutares, & laudabiles conſtitutiones, noſtra in Patria, promulgatas videmus. Quid illæ aliud indicant, quam Celſiſſimum, ac Avitum Genus, jus atque juſtitiam Amans & Obſervans? In primis vero Fortis Ille, ac Magnanimus Heros, CAROLUS I. glorioſæ memoriæ, in publicis & privatis rebus, per omnem vitam ſuam Studioſiſſimus atque Obſervantiſſimus fuit. Eum in finem ordinationes, modum procedendi judiciarium concernentes, ſæpius atque ſæpius confici juſſit, & confectas approbando confirmavit: Hiſce ad

mandatum SACRÆ TUÆ REGIÆ MAJESTATIS renovatis, omnia apte, ac decenter in foro geri, lites calliditate, ac machinatione partium non protrahi reperimus. Aſt hæc tantum ſunt formalia. Præter ea profecto, quantum ob negotiorum multitudinem fieri poteſt, etiam materialia exacte tractantur; ita tamen, ut publica privatis præferantur: hinc Anno 1731. inſtituebantur Provincialium, Prælatorum, Nobilium & Civitatum conventus: Quos præcipue, AUGUSTISSIME ET POTENTISSIME REX, gratioſisſima Tua præſentia condecorare, atque illuſtriores facere voluiſti. Verum enim vero, quis eorum erat finis? Nullus certe alius, quam mediante ſuprema lege, ſalute ſcil. publica univerſo conſulere populo: a quo fonte, & ad quem omnia ſana & ſalva fluant ac refluant. Quoniam igitur præter alia ſalutaria, controverſia, antea jam dudum mota; *num videlicet JUS LANDSIDELIÆ; vim perpetuæ Coloniæ hactenus habuerit, ac in poſterum habiturum ſit*, in prælaudatis conventibus, in ſolatium ſubditorum

torum deciſa; atque ita SERENISSIMI LANDGRAVII HASSIÆ GUILIELMI Sapientis, divæ memoriæ, ſententia, quam anno 1575, hac de re fovit, noviter quaſi reiterata legitur, ideo hanc materiam, elaborare non inconſultum eſſe exiſtimavi. Idcirco ante paululum temporis rem ipſam aggredi in animum induxi, illamque pro mei tenuitate ingenii perficere volui.

SACRÆ igitur MAJESTATI devotisſime, in genua procumbens, offero hocce opuſculum exiguum, vel potius ariſtam, ut fructum diligentiæ, quem in Academia Patria ad Lanum, intra quinquennium colligere cœpi.

Ceterum DEUM T. O. M. Regum Regem ſupplex venerabor, ut SUMMAM TUAM REGIAM MAJESTATEM, ad pacem tuendam, ac Juſtitiam propagandam, una cum AUGUSTISSIMA ET CELSISSIMA, omni generis virtute prædita, & tanto SUECORUM ET CATTO-

RUM

RUM HEROI DIGNA CONJUGE, diutisſime ſoſpitet, & conſervet, meque Regia Clementia velit complecti; quod ſupplicibus verbis adprecatur.

AUGUSTISSIMÆ MAJESTATIS TUÆ

Dab. Marburgi Cattorum,
Prid. Id. Decembr.
CIϽ IϽCC XXXV.

*ſubjectisſimus, devotisſimusque ſervus*
*ac ſubditus*
AUTOR.

# DESCRIPTIO JURIS PERPETUÆ COLONIÆ.

## §. I.

Fons & origo *perpetuæ coloniæ* eſſe quidem videtur jus Romanum, *vid. l. f. C. de locat. præd.* ſed re penitius inſpecta, illud ortum ſucceſſive potius duxiſſe credimus à moribus quarundam Regionum, in quibus præcipue ſervitus perſonalis; vel mixta quidem, mere tamen perſonalis, viguit, qualis eſt ſervitus Principatus Haſſiæ Superioris, & adjacentium Provinciarum, atteſtante STAMM, Aſſeſſore quondam Judicii Cameralis *Tract. de ſervit. perſonal. & real.* cui Cattorum conſuetudines non incognitæ fuere. Sententia, quam hac de re fovet, exinde patefacta & illuſtrata cenſetur, quod ſervitus Haſſiaca reviviſcat, ſi ſemel manumiſſus ibidem larem denuo conſtituat.

*Origo perpetuæ coloniæ, nominatim in Haſſia.*

## §. II.

Sunt igitur omnes *Villici* (*Landſiedels*, *Lehns-Mænner*) in Haſſia Superiori homines proprii, ſed non omnes

*In Superiori Haſſia omnes Landſiedelii ſunt homines*

*proprii, ſed non contra. Ab initio omnes Villici veriſimiliter ſervi.*

omnes homines proprii *Villici*; cum perquam plures incolæ prædia jure proprio poſſideant. Quare non procul à vero eſſe cenſemus; principio omnes *Villicos* ſervos fuiſſe, qui e dura ſervitute poſtea evaſi, homines proprii & perpetuarii conductores facti videntur. *a*)

## §. III.

*Præſtanda propriorum hominum intuitu perſonæ præter operas indeterminatas manuales.*

Solvit *Villicus* plerumque intuitu perſonæ (*vid. Blanckenſteinenſem librum ſervitutis perſonalis & realis* Germanice: *Das Blanckenſteiner eigen-Buch* §. 11. 12. 13. & 14. *b*) propter operas indeterminatas *c*) in terris Haſſiacis aliisque diſtrictibus, pecuniam non grandem, ſed vilem, & plerumque loco der *Beede* 2. Caſſ. alb. 6. Pfenn. & 2. ad 3. Pfenn. für ein *Beed Huhn*, ac totidem *uxor Villica* exhibet. Idem dicendum de Viduo; Vidua vero das *Beede Huhn* de

*a*) Romani enim victos in ſervitutem redigere ſolebant, veruntamen duram ſervitutem Germani non poterant perferre.

*b*) §. 11. Idem wer da queme über die Reddinger Berge, in der vorgenannten Gerichte ein, iſt geweiſſet gehn *Blanckenſtein* mit *Hüner* und *Beede* vor einen *Eigen-Mann*.

§. 12. Item was da kommet aus der Graffſchafft von *Wetter*, der Herrſchafft von *Battenberg*, und der Herrſchafft von *Ziegenhain*, in unſers Gnædigen Herrn von *Heſſen Fürſtenthum* vorgenannt, ſoll *Beeden* mit Hüner uf Blanckenſtein vor einen *eigenen Mann*.

§. 13. Item alle diejenige, die da kommen aus unſers Gnædigen Herrn von Heſſen Stædten, und ſetzen ſich in die vorgenannte Gericht, in das gedachte unſers Gnædigen Herrn Fürſtenthum, hœren gehn *Blanckenſtein* vor *eigen Leute*.

*c*) Quæ tamen non ex territoriali, neque ex perpetuo agricolationis jure præciſe promanant; ſed jure ſervitutis, conventionis, vel præſcriptionis etiam Nobilibus aliisve privatis, ubi jus agricolationis plane non viget, præſtantur. Jus contra *Angarias* & *Parangarias* exigendi, eſt, effectus juris territorialis.

de corpore ſuo tantum præbet; alibi vocatur das *Leib-Huhn*; & eſt indubitatum ſignum ſervitutis perſonalis *§. 9. de lib. Haſſ.* *d*) *ſerv. perſ. & real.* addatur STAMM, *de ſervit. perſonal. & real. lib. 3. c. 21. n. 2.*

## §. IV.

*Quantitas der Beede, præter operas prædiales, à jumentis ex prædio alendis ſuſcepta, non eſt uniformis.*

*Servitus realis* conſiſtit in præſtatione *Mortuarii*, Germ. *das beſte Haupt*. Lytrum mortuarii ſunt 2. 3. 4. 5. &c. 10. ad 12. uſque florenos, quod, pro modo facultatum defuncti, à Præfecto determinatur; vel per modum tranſactionis potius promittitur; quæ tranſactio Germ. vocatur die *Thædigung*; ac ex bonis cœlibum debetur, qui tamen à Præſtationibus pecuniariis hoc in loco plane ſunt immunes.

## §. V.

*Attamen Blanckenſteinenſis videtur frequentior.*

Prædicta intelligenda veniunt; *nach der Blanckenſteiner-Beede*, quæ frequentior eſt; aliâs diverſæ qualitates non in illo ſolummodo loco; ſed & in aliis Ditionibus circumjàcentibus reperiuntur: *e*) adeo, ut conjuges ſæpenumero diverſis præſtationibus adſcripti videantur.

## §. VI.

*Non omnes coloni Ro-*

Ceterùm *Coloni Romani* non indiſtincte *Perpetuarii*

A 2 erant,

*d*) Verba dicti §. 9. hæc ſunt: Welch Mann, oder Weib kommet aus fremden Landen ins *Oberfürſtenthum Heſſen* (loca ſpecialiter exprimuntur) die ſollen unſers Gnædigen Herrn von Heſſen *eigen* ſeyn, und gehœren mit *Beede* und *Hünern* aufs Hauſs *Blanckenſtein*, wohin zu Zeiten Philippi Magnanimi, und ſo lang das Oberfürſtenthum nicht iſt zugliedert worden, alle præſtanda der *Leibeigenſchafft* geleiſtet werden müſſen.

*e*) Als die Wetteriſche, Weimariſche, Loriſche, Obsdœrffer, Biedencapper, Allendœrffer, Dernbacher, Grümberger, Rodenboler, Gieſſer, Kœnigsberger, Ulrichsſteiner, Burggemünder, Holtzfelder, Homberger &c.

*mani ante hac erant perennes; conductores.* erant, ſed qui prædium à Principe vel Republica conductum, certo canone ad dies vitæ poſſidebant, ea conditione, ut ad poſteros, aliosve transferre non prohiberentur; aliâs & *Vectigaliarii* dicti; quem modum conducendi bona, poſtea etiam privati introduxerunt. Verum enim vero *Revera tamen erant emphyteutæ.* ejuſmodi perennes conductores revera, & habito reſpectu ad qualitatem bonorum, alios non fuiſſe, atque eo tempore *Emphyteutas:* niſi, quod tam bonos, quam malos agros colerent; quod & hodie fit; olim vero ſaltem res ſterilis & inculta; immobilis tamen §. 3. *Inſtitut. de locat.* in emphyteuſin dabatur.

## §. VII.

Statuimus ſupra, *perpetuam coloniam* moribus indrotuctam fuiſſe, & quidem ſucceſſive. *Olim perpetua colonia, à privatis conceſſa, dependebat ab arbitrio Dominorum.* Ab initio enim perpetuitas illa non erat bilateralis; ſed ex arbitrio Dominorum unice pendebat; uti *jus ſtatutarium Butzbacenſe* ſatis, abundeque docet; quod omni ex parte juri provinciali Solmenſi, quantum ad naturam *prædiorum colonariorum*, conveniens videtur; de quo poſteriori *vid. Dn.* Ludewig *de jure client. Rom, Sect.* 3. *c.* 7. *per tot.* In primis vero cogebatur colonus, fundum deſerere, ſi dominus ipſe eo indigeret, quo caſu melioratio æſtimabatur. Modus taxandi in prædicto *jure ſtatutario Butzbacenſi* præſcribitur. *f*)

§. VIII.

*f*) Wie *Land-Siedell* Güter geſchætzet werden ſollen. Es ſoll nemlich eine Setz-Weyden, die beklieben und grun iſt, und noch nicht gehauen, geſchætzet werden für drey Pfennige. Item ein Weyde, die da grun iſt, und eingehauen, ſoll geſchætzet werden, 6. Pfennige. Item eine Weyde, ſo grun iſt und zweydrey, vier, oder mehrmahlen gehauen worden, ſoll geſchætzet werden 18. Pfennige, und nicht hœher. Obige Pfoſten müſſen nach dem heutigen Wehrt taxiret werden. Item es ſollen auch

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-113467-p0016-9

## §. VIII.

Sed hodie nequidem improviſa neceſſitas ſuperveniens, Domino dat facultatem *Perpetuarium*, expellendi; quod tamen in ſimplici locatore ſecus *l. 3. C. loc. conduct.* quia regulariter eſt contra naturam *perpetuæ coloniæ*. Quod enim lege perpetuitatis conceditur; non temporale eſt: naturalia autem inſunt rei; niſi aliter conventum fuerit. Pacta certe dant legem contrahentibus: poteſt etiam in locatione ſimplice damnum, ex revocatione locationis conductionis promanans, facilius reſarciri. Et hoc modo, referentibus Perſonis fide dignis, ſæpius atque ſæpius pronunciatum fuit tempore Venerabilis juſtitiæ Capitis, Procancellarii

*Ob ſupervenientem improviſam neceſſitatem conductor non eſt expellendus.*



auch nicht mehr, dan drey Weydenſtæmme in eine Rute geſezt werden, wo aber mehr darin ſtehen, ſollen ſie nicht geſchætzet werden, oder der *Land-Siedel* mag ſolche vor der Schatzung aushauen und hinwegthun. Item es ſoll ein jeder Obſt-Baum darnach er gut iſt, und Frucht trægt, geſchætzet werden. Item ſoll ein jedweder Wieſen-Placken, Kraben oder Weyden geſchætzet werden, demnach ſie gut iſt. Item ſoll ein jedweder Nacht-Grabe, mit der Ruten die Længe gemeſſen werden, und darnach er lang iſt, auch wohl gemacht, geſchætzet werden. Item dergleichen mit denen Noth-Zaunen, die Længe gemeſſen werden, und, darnach er lang und gut iſt, geſchætzet werden. Item es ſoll ein jeder Baum-Garten, darnach er viel und gute Baume hat, und Graſs trægt, geſchætzet werden. Item dergleichen ein jeder Cappes-Garten, darnach er gebeſſert und gedunget, geſchætzt werden. Item ein jedweder Fiſch-Weyer, nachdem er Fiſche hat, und wohl beſetzet iſt. Item ein jedweder Wein-Garten ſoll wohl und eigentlich gemeſſen, und darnach beſichtiget werden, wie er mit Stacken ſtehet und gedunget iſt, auch der Art und Pfleg nach, geſchætzet werden. Solcher geſtalt will auch mit æſtimation der Æcker verfahren ſeyn, ſo, daſs eins nach dem andern, in Anſchlag genommen werden muſs.

Vulteji *p.m.* in Dicaſterio Marburgenſi; utpote qui per 60. annos, ſuperiorem Haſſiæ partem juſtitia & virtute defendens, nunquam, diſſentientibus quamvis fruſtra aliis, paſſus eſt, ut Domini, introducendo difformitatem canonis, ſuorum prædiorum pretia, *Perpetuariorum* ſudore augeant; quippe quod nec natura patitur: quamdiu ſc. colonus inſertas inſtrumento locationis conductionis conditiones ſervat, ac damnum, ſi quod illatum, ſanabile ſit. Aliàs merito revocatur perennis conductio condictione, cauſa data, cauſa non ſecuta: quamobrem colonus, *perpetuarius conditionalis* dicitur. Extra cauſam contraventionis vero; non ſoli ſimplicitati ruſticorum ſubveniendum, ſed dominorum etiam comminationibus, atque doloſis perſuaſionibus de conſentiendo in multiplicationem canonis, quovis modo obveniendum venit: quod, ne fieret, in manu Judicum inferiorum ſemper non fuit.

*Ob non ſervatas conditiones, & domino inſanabilia illata damna, revocatur, perpetua agricolatio.*

*Simplicitati ruſticorum omni ſuccurrendum eſt modo.*

§. IX.

*Effectus duræ ſervitutis.*

Interea non dubitamus, fore plerosque, qui inter alios hodiernos proprios homines & ruſticos conſtitutos juris effectus referunt: quod dominus, *Villicum*, pro lubitu, de fundo dejicere, eumque aliô transferre poſſit; hoc quoque nos concedimus, nimirum in ejuſmodi locis, ubi ſervitus dura viget, v. gr. in Regionibus ſeptentrionalibus; ſed id male in conſequentiam trahitur, & applicatur ad Provincias ubi ſervitus eſt lenis. Schultz, *ad Inſtit. lib. 10. L. a.* Servitus dura etiam ruſticum inobedientem, rebellem, & delinquentem carceribus, aut pœna pecuniaria, coërcere, eique tributa extraordinaria, quatenus regalia à Summo Principe conceſſa non adverſantur, ſecundum conſuetudinem loci, imponere permittit; Dominisque jura detractus, vulgo *Nachſteur*, *Abzug*, *Abſchoſs* exigendi poteſta-

tem

tem tribuit, quoties coloni ſeu homines proprii prædia ſua, quæ à Dominis recognoſcunt, alienant; HUSAN, *Tract. de hom. propr. c. 7. n. 58. vid. Receſ. Imp. Auguſti: de anno 1594. §. wo aber unſere; & Receſſ. Ratisb. de an. 1594. §. und ſo viel.* Porro Domino elocanti filiam ſubſidium conferre, aliaque extraordinaria præſtatione ad dotem conſtituendam, vel, conſuetudine exſtante, ſumtus in nuptiarum feſtivitates impendendas ſuccurrere tenentur, quæ tamen omnia in terris Haſſiacis, partim ad juritdictionem inferiorem, partim ad Regalia ſpectant.

## §. X.

*Prædium conceditur, vel ſimpliciter, vel conditiones ſpecifice exprimuntur.*

Non vero ſemper exſtant conditiones, quibus prædium conceditur, exprimuntur, ſed interdum generaliter ſaltem ponitur: *Ich vererbleihe dir mein Gut zum Erbbeſtand: oder verlehne dir mein Gut zu Landſiedel-Recht;* in fine additur clauſula mere ſuperflua: *daſs, ſo lang Penſionarius die jæhrliche Pfacht abtragen werde, er nicht vom Gut vertrieben werden ſoll:* juxta mores ſc. Haſſiacos: aliâs verba ultima valde ſunt neceſſaria, & magis confirmant *jus perpetuæ coloniæ.* Communiter vero conditiones ſpecifice ſolent enarrari. *g)*

§. XI.

*g)* Daſs nemlich der Colonus das *Landſiedel Guth* nicht verpfænden, verbræutelgaben, unter ſeine Kinder, oder ſonſten vertheilen, oder auf andere weiſse veræuſſern, ſondern daſſelbe beyſammen in richtigen Reinen und Steinen ſo wohl, als die Gebæue, in gutem Stand und Beſſerung halten, nichts daran verwüſten, verændern, umackern, ſonſten aber alle onera und ſervitia, wie ſolche Namen haben mœgen, richtig abtragen; auch, wann das *Landſiedel* in Anſprach genommen werden mœchte, er, der *Landſiedel*, dem Eigenthums Herrn darvon part geben, auch ihm im übrigen die Beſſerung anbieten, wolle und ſolle, wann der Colonus ſolche verlaſſen wird,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-113467-p0019-9

*Oppignoratio, mutatio, & omnes alienationis ſpecies, non niſi conſenſu domini permittuntur.*

§. XI.

*Oppignoratio* & *Mutatio prædii colonarii*, imo omnes ſpecies *alienationis* merito interdicuntur: quia *Perenni*, *conductores* prædiorum Domini non ſunt. De meliorationibus vero libere diſponere non prohibentur; poſſunt quoque alienationes ac oppignorationes matrimonii, vel ſeparationis cauſa &c. cum conſenſu Domini fieri, ſalvo jure *Proprietarii*, quoniam volenti non præjudicatur.

*Baſis ac fundamentum prohibiti augmenti canonis eſt deficiens probatio meliorationum atque impenſorum, ut & ruina Villicorum iu toto Principatu Haſſiæ.*

§. XII.

Cauſa ac fundamentum præjudiciorum Marburgenſium, de quibus §. 8 mentio facta, erat, quia Perpetuarii, eorumque prædeceſſores omne conſumtum (*was ſie haben zuſammen bringen kœnnen*) impenderant in prædia, ab immemoriali tempore, & longius, citra mutationem *canonis* conſtituti, vel *mercedis*, poſſeſſa; impenſa vero, nec memoriæ, nec ſcriptis mandaverant, multo minus primitivi ſtatus notitiam habuerant. Ne autem Domini cum manifeſto poſſeſſorum detrimento locupletiores fierent, conſultum, ac naturali rationi conſentaneum cenſebatur, ut *Colonia* potius continuaretur, quam reſcinderetur, nulla facta differentia: utrum *perpetuæ coloniæ*, an *Landſideliæ* jure, colonus hactenus poſſederat rem? nam, ab antiquiſſimis temporibus, *Coloni prædiarii Haſſiaci*, præter impenſa memorata, non amplius probandas, etiam omnia onera, atque tributa, & collectas, aliasve publicas penſitationes, nec non ſervitia indeterminata, imo omnes caſus fortuitos minores, *h)* non vero majores *i)* tanquam natura-

*h*) Als Miſswachs, Uberſchwemmung, Hagel, Brand, Mæuſse, Hamſter, Stras, und Viehe-Sterben.

*i*) Als allgemeine Brandſchatzung, Peſt, Verwüſtung, durchfallendes Feuer vom Himmel.

naturalia *Landſideliæ*, intuitu uniformis canonis, in præſens uſque tempus, ſuſtinuere. Unde & injuſtitiam, atque iniquitatem, expellendi Perpetuarios, probe conſideravit *Sereniſſimus Princeps, Landgravius Haſſo-Caſſellanus*, GUILIELMUS *Sapiens*; quare anno 1575. ad humillimas ſupplicationes ſubditorum Sarnauenſium (*Sarnauer Bauern des zeitigen Amts Wetters*) contra Prætorem Ordinis Teutonici in Gosfelden, ſtatim, & ante plenariam cauſæ cognitionem, ſummariter reſcripſit; Weilen die Unterthanen die Æcker viele Jahre in ihrer Leihe gehabt, darvon jeder ſeine gebührende Pfacht allezeit entrichtet, und ſolches noch zu thun erbietig, ſollen ſie darbey ungehindert gelaſſen werden, bis ſie deßwegen mit ordentlichem Erkæntnüſs, unter Sr. Fürſtlichen Gnaden ſich melden werden. Nec movet, quod negligentia ſua, ſeu intermiſſus accuratæ annotationis impenſorum, & meliorationum nemini patrocinari debeat; quia hæc regula ceſſat, ubi utroque verſum oſcitanter actum, tunc, ut damnum exinde ortum utrinque ad æqualitatem reducatur, æquitatis ratio poſtulat, & in pari cauſa, magis pauperi, cui ob antea citatam oſcitantiam operæ ſæpius ſunt vita, quam diviti, favendum eſt.

*Reſcriptum Guilielmi Sapientis Coloniam perpetuam confirmans de an. 1575.*

## §. XIII.

Aſt *jus Landſideliæ Solmenſis* Domino Colonum dejiciendi poteſtatem tribuit, quod in ſuperioribus terris Haſſiacis, non niſi ob propriam indigentiam, aut pactis expreſſe à locatore reſervatum, permittitur. Atque ita judicatum fuit, anno ſuperiori, in Reviſorio, ſeu Appellatorio Supremo, SERENISS. DOMUS HASSO-CASSELLANÆ & DARMSTADIENSIS, in cauſa Poſſeſſorum ampli prædii, ſic dicti, Appellantium & Revidentium,

*Jus Solmenſe pro lubitu perpetuarium dejicit, quod ſecus eſt in terris Haſſiacis.*

 ab

ab una, contra Viduam de Rau curatorio nomine ſuorum liberorum Appellatam, & Reviſam, ab altera parte.

§. XIV.

*Ubi vero pacta non fuerunt impedimento, jus colonarium confirmatum fuit, ita tamen, ut non præjudicent tertiis.*

Ceterum *jus Landſideliæ* confirmabatûr: quod enim non mutatur, quare ſtare prohibetur; pacta vero à prælaudato Judicio jure optimo ita reſtringebantur, ut tertiis poſſeſſoribus, rem particularem, conſenſu Dominorum, acquiſitis, non præjudicarent; niſi & hi clare ac evidenter: adeoque magis, quam hactenus factum, demonſtrent: præmemoratos ſingulares poſſeſſores, cauſam ab ipſis Villicis, aut Eorum prædeceſſoribus habuiſſe, quo caſu Domini merito audiendi; ſi modo præſcriptio non obſtet.

§. XV.

*Quo tempore reſtitutio fieri debeat.*

Quo tempore autem reſtitutio fieri debeat, à ſæpius citato Illuſtri Judicio nondum fuit determinatum: Quidam putant tempus initiale eſſe conſiderandum; alii vero tempus reſtitutionis præferunt; Nos autem utrumque attendendum eſſe exiſtimamus, quia non omnis tantum res, ab origine ſua, metienda venit; cum talis ſemper res adeſſe præſumatur, qualis ab initio fuit: Sed & intermedio tempore multa in *prædium colonarium* inferre, vel ea deteriorare poſſeſſores ſolent: interdum etiam inſuper multum pretii in *fundum colonarium*, conſentiente Domino prædiali, erogatur. Quoties igitur ſtatus præſens & præteritus juxta ſe ponuntur; taxationem meliorationum & impenſorum facilitant, atque certiorem reddunt: ſi vero de ſtatu initiali ac poſtea impenſis, quibus res melior reddita, vel deteriorata, plane non conſtet, tunc *Excell.* ***Domini*** LUDDEWIG: *Tract. de jure clientel. Sect.* 3. *c.* 7. *§.* 9. *L. E. in fin.* opinio verior videtur, quod ſc. tantum detrahendum de melioramentis, quantum iis ipſe uſus eſt Perpetuarius, quantumque ideo Domino detractum, quin illis plene utatur.

*Status præſens, & præteritus, quoties conjunctim conſiderantur, meliorationum, & impenſorum major ratio haberi poteſt.*

## §. XVI.

Hiſce præmiſſis, *perpetua Colonia* definitur, *quod ſit jus in re aliena, ea perpetuo fruendi erga* ſtabilem penſionem: LEISER *de prædiis.* Sed quia Veteres JCti ſemper magni æſtimarunt deſcriptiones, exiſtimantes; non verba, ſed realia eſſe tractanda: hinc à prænominato LEISERO, loco trium poſteriorum verborum, ſequentia adjiciuntur: *legitimi temporis 30. vel 40. annorum poſſeſſione, & uniformi præſtatione, titulo, ut plurimum nullo prævio quæſitum.* Atque hæc deſcriptio naturæ ac qualitati prædiorum Haſſiacorum conveniens videtur.

*Definitio & deſcriptio perpetuæ coloniæ.*

## §. XVII.

Dicitur enim *jus* &c.) Non Dominium ne quidem minus plenum unde differt à Feudo, & Emphyteuſi. Hinc initium inſtrumenti *Perpetuæ coloniæ* hoc eſſe ſolet: *Ich Titius verleihe dir Cajo mein eigenthümliches Gut zu Erbbeſtand, oder zu Landſidel-Recht*: quæ verba in terris Haſſiacis effective pro ſynonimis habentur.

*Verba, trado tibi fundum meum jure perpetuæ coloniæ, & Landſideliæ; in Haſſia pro ſynonimis habentur.*

## §. XVIII.

*In re aliena*) Perpetua locatio quandoque denotat contractum, quandoque rem, quandoque *jus colonarium* moribus introductum. Contractus colonarius Haſſiacus eſt contractus conſenſualis b. f. re immobili perpetuo utendi, & canonis annui in recognitionem pleni Dominii ſolvendi. Oritur ex hoc contractu actio locati conducti *l. 15. ff. locat. conduct.* ipſum vero jus colonarium jam ſupra deſcriptum. Dari etiam actionem in rem *Perenni conductori*, ſi videlicet hic prædium conductum, vel ejus partem amiſerit, aut illud non acceperit, ab alio occupatum, defendit LUDEWIG. *d. tract. ſect. 3. c. 4. §. 12. Lit. C. allegans leg. 1. ſub fin. ff. ſi. ager vectigal.* Verba legis hæc ſunt:

*Perennis locatio, quid denotet? Definitio contractus perpetuæ coloniæ. Oritur ex contractu colonario actio locati: datur etiam actio*

*In rem ſcripta, adverſus tertium poſſeſſorem.*

Qui in perpetuum fundum fruendum conduxerunt; quamvis non efficiantur Domini tamen placuit competere iis in rem actionem adverſus quemcunque poſſeſſorem, Idem *d. l. L. c.*

§. XIX.

*Differt jus perpetuitatis à locatione ſimplici, uſufructu, jure Landfideliæ Solmenſi & feudo.*

***Perpetuo fruendi***) Unde differt 1.) à locatione ſimplici, quæ deſinit, finita locatione; 2.) ab uſufructu, qui non eſt perpetuus, nec in quemcunque poſſeſſorem transfertur, ſed morte uſufructuarii extinguitur. 3.) ab emphyteuſi, utpote quæ utile dominium tribuit: & ratione ceterorum præſtandorum à *perpetua colonia* toto cœlo diſtinguitur. Quoties igitur prædium jure perennis coloniæ, ſeu *Landfideliæ* conceditur, conditiones vero, quibus illud colono offertur, ſunt emphyteuticæ; plus qualitas prædii, quam verba: quatenus hæc naturæ illius e diametro contrariantur, attendenda venit: cum qualitas ſit, à qua res talis denominatur, aliàs verba præferuntur menti contrahentium, modo illa ſint clara, & negotium non reddant nullum, neque id alterent: & 4.) ſeparatur à *jure Landfideliæ Solmenſi*, vi cujus poſſeſſores prædia ſub certis conditionibus, præſtationibus, & ſervitiis precario tenent: licet promiſſa præciſe hactenus ſervaverint coloni; 5.) à Feudo, in quo regulariter mera ſervitia præſtantur.

§. XX.

*Conditiones Villicis communiter præſcriptæ, ſæpius mutantur.*

Promittunt autem tam *Landfideliæ*, quam *Perpetuæ coloniæ* jure prædium Poſſidentes, promiſcue illud colere, ædesque ſartas, tectas, habere, agros proſcindere, proſciſſos limitatos ſervare, prata ſitientia irrigare, nil vero horum liberis donare, nec inter illos dividere, aut in dotem dare, ſeu oppignorare, multo minus vendere

dere, ſed tunc Domino prius offerre, quod poſterius tamen non neceſſitatis cenſetur: *Vid. ſupra* §. 10. Ceterum, precariam Coloniam Solmenſem non amplius in uſu eſſe, quam in Præfecturis Huttenbergenſi, Clebergenſi, Koenigsbergenſi, Butzbacenſi, Darmſtadienſibus, à Naſſaviorum Solmenſium Comitum Familia, acquiſitis, teſtis eſt Perilluſtris & magnæ autoritatis Vir, *Dn. de* LUDOLF, AdſeſſorJudicii Cameralis. *Uſus precariæ Coloniæ Solmenſis valde reſtrictus.*

§. XXI.

*Legitimi temporis* 30. *vel* 40. *annorum*) Priori tempeſtate omnes res privatorum, poſteriori vero res fiſci eccleſiæque præſcribuntur, & *bona* fides præſumitur: ſi modo adducatur, ne opponens præſcriptionem, eam prætereundo, ſe ipſum ſuſpectum reddat. In dubio certe *bonus* nemo cenſetur, ubi de præjudicio adverſarii agitur: & contra jura regulariter aliquid petitur. *Quanam fides in longiſſimi temporis præſcriptione præſumatur?*

§. XXII.

*Poſſeſſione*) Non nuda detentione, hæc, qua talis, non eſt modus acquirendi *perpetuam coloniam*, ſed ſuperveniens poſtea incertitudo ſtatus initialis: ex longiſſimo equidem temporis lapſu qualificata poſſeſſio in dubio inducitur: ſi naturalia contractus præſumptionem inſuper concomitentur: v. gr. conductor ſuſcepit omnia onera, ſervitia &c. unde Judex dubius non inique pro eo pronuntiat, qui etiam veriſimiliter poſſeſſionem qualificatam pro ſe habet, & aliter ſentientes, contra prima elementa Logicæ impingere exiſtimantur, qui eo ipſo ambigunt de argumento à natura rei ad ipſam rem, quaſi naturalia rei non ineſſe videantur: ac his ceſſantibus, non varietas rei in totum vel partem præſumatur? quæ tamen præſumtio evaneſcit, cum eluceſcit in contrarium veritas; nec noſtram hypotheſin impugnantes, rem in hypotheſi, adeoque non *Nuda detentio non eſt modus acquirendi jus perpetuitatis.*

ſolide ponderare videntur, quoniam *l. 2. C. de præſcript. 30. vel 40. ann.* ultra caſum in terminis, & quidem contra regulas ſanæ interpretationis extendunt; atque ita in applicatione juris errant: Eſt certe finis noſtræ jurisprudentiæ habitus non theoreticus, in contemplatione tanquam fine ultimo ſubſiſtens; ſed practicus, quippe qui non conſiſtit in nuda notitia, ac ſcientia rerum divinarum, atque humanarum, (quamobrem etiam hoc modo male definitur ab Imperatore jurisprudentia,) ſed potius in applicatione juris ad factum, ſeu caſus obvenientes.

## §. XXIII.

*Difformitas canonis regulariter eſt naturale locationis ſimplicis, & contrarium accidentaliter fit.*

*Uniformi præſtatione)* Uniformem canonem locationi adverſum eſſe credunt Ddres; canone enim per triginta annos non mutato, jus *perpetuæ coloniæ* introducta videtur: Proinde in locatione ſimplici ſemel conſtituta merces, intra tantum tempus, aut augenda, aut minuenda; vel locatio conductio renovanda venit. Nec obſtare videtur, in *laſſiticis bonis* per integri ſeculi intervallum canonem ſæpius non variari, hoc quippe perraro accidit, quod vero frequenter fit, attendunt jura: & quæſtio hic non eſt, utrum conductor, qua talis, poſſit præſcribere; ſed quid in dubio ſtatuendum? Præclarum, & ſimile exemplum habemus in ſpoliato *prædone*, qui ante omnia eſt reſtituendus, ſed quando? indiſtincte: & etiam tunc, ſi de non jure *prædonis* certe, ac liquido appareat? minime, hujusmodi quippe poſitio manifeſtum nævum juris in ſe contineret; ſed quoties *prædonis* cauſa eſt dubia.

## §. XXIV.

*Interdum*

Interim minime negamus, Conductorem non poſſidere,

dere, ſed in poſſeſſione eſſe; eo quod tantum detineat rem alterius nomine: quare non aliam ſibi adſcribere valet poſſeſſionem, quam ab initio habuit. Nullo igitur tempore res locata præſcribitur, etiamſi accedat mille annorum. Verum, ſi præſtatio canonis 1) ſit uniformis, & 2) longiſſimum accedat tempus, initium vero canonis 3) incertum; ſimplex locatio variata, & in aliud negotium transmutata creditur: Hinc juxta Berlich. *n.* 2. *concluſ.* 48. jus perpetuæ coloniæ; vel ſi prædia colonaria in Regione, aut loco aliquo non inveniantur, emphyteuſis inducta cenſetur, *idem d. l. n.* 9. Coth. *Vol.* 2. *Conſ.* 97. *n.* 113. quoniam contractui locationis conductionis nil tam ſimile eſt, quam emphyteuſis §. 3. *Inſtitut. de locat. conduct. ibique Ddres.*

*etiam diuturnitati temporis, incertitudo ſtatus initialis accedit: tunc multa concurrunt, quæ contra naturam ſimplicis conductionis eſſe videntur.*

Noſtram ſententiam quoque præjudiciis confirmat Carpz. *p.* 2. *defin.* 2. atque ita anno 1649. die 30. Octobris à Facultate Helmſtadienſi reſponſum fuiſſe, atteſtatur Leiser. *de præd. c.* 21. *n.* 8. quæ vero jura Dn. Ludewig. *d. tr. ſect.* 3. *§.* 16. *Lit. i.* ad ſucceſſorem ſingularem reſtringit, ſed in praxi uniformitas canonis, ceteris paribus, plerumque & regulariter, obſtat Domino; ubi de prima indole contractus non conſtat; *vid. §. præced. &* 22. Sicuti etiam ex uniformitate ſervitiorum ſervitia potius determinata, quam indeterminata promiſſa judicantur. Et *homo proprius* intra 30. annos ſervitia non præſtans, pro manumiſſo, vel libero homine, habetur: præſertim; ſi in locis circumjacentibus hujusmodi præſtationes factæ reperiantur; *poſt* Berlich *in ſuis Concluſionibus &* Stamm *tract. de ſervit. perſonal. & real. Ddres communiter.* Mala fides vero tollit omnem præſumtionem, ratione poſſeſſionis, præſcriptionem, etiam immemorialem: & omnia jura. Idem dicendum de conjecturis fortioribus in contrarium, de quibus *vid.* Carpz. *d. Conſ.* 3. *defin.* 8. quia præſumtio per contrariam præſumtionem

*Hæc jura quæ ad ſucceſſorem ſingularem reſtringit Dn. Ludewig. Judex in caſu dubio pro eo pronunciat cui præſumtiones favent: Caſus ſimiles recenſent Berlich & Stamm. In locis quæ ob notorietatem non allegantur.*

tionem eliditur: & ſic non obſtat *l. 2. C. de præſcript. 30. vel. 40. ann.* quam pro aperta agnoſcimus, ubi initium locationis conductionis non in dubium vocatur; multo minus firmiora alterius contractus indicia adſunt. In foro verſantes magis æquitatem naturalem, quam ſubtilitates dubias, & nil omnino ad rhombum facientes, reſpiciunt.

*Realia præferuntur verbalibus.*

## §. XXV.

*Tituli translationis juris perpetuitatis.*

*Titulo)* videlicet locationis conductionis perennis; item hæreditatis, diviſionis hæreditatis, teſtamenti, legati, donationis, &c.

## §. XXVI.

*Perpetua colonia interdum acquiritur cis ter denos annos, ſolo lapſu temporis, vel potius negligentia Domini, jus vero Can. b. f. ſemp. requirit.*

*Ut plurimum nullo)* quamvis jus Canonicum bonam fidem omni tempore requirat. Nec movet, quod plerumque anno nono, vel decimo, aut breviori tempore conductio renovetur; hujusmodi renovatio perpetuitatem non tollit; ſed fit 1.) ne utile Dominium præſcribatur; & 2.) ad docendum à parte conductoris, ſe inſertas, literis perpetuæ conductionis, conditiones, ſub quibus ejusmodi conductio conceſſa, accurate ſervaſſe, quam ob cauſam, interdum renovatio ſuſpenditur: quod enim ſub lege conditionaliter alicui traditur, ejus renovatio ſimpliciter prætendi non poteſt.

## §. XXVII.

*Prædiator perpetuus Haſſiacus clientelam non præſtat, ſed fidem pactorum.*

Præterea clientelam non præſtat *Landſidelius*, ſed fidem pactorum & conditionum. Promiſſa vero clientela, ſi forſan reperiatur, ex antiquis formularibus Solmenſibus, aliisve exſurrecta apparet; atque adeo nullius eorum in terris Haſſiacis eſt effectus, fides pactorum contra reciproca videtur; quam ob rem non incommode quæritur: utrum

utrum conditio litteris *perpetuæ coloniæ* adpoſita, vi cujus, Dominus, poſt lapſum decendii, vel 9. annorum, jus expellendi conductorem, vel canonem augendi, ſibi reſervavit, pro non adjecta ſit habenda; præſertim, ſi ejusmodi literæ hoc modo incipiant: *Trado tibi fundum meum jure perpetuæ coloniæ, vel Landſideliæ* &c. Reſp. Non poſſum adduci, quin credam, juris civilis & naturalis peritum, multominus prudentem, hanc opinionem generaliter & indiſtincte fovere; licet aliâs prædicta clauſula *perpetuæ coloniæ* è diametro contrarietur, niſi conductor à Domino doloſe circumductus ſit: nam dolus omnibus contractibus obeſt, atque illis id naturaliter ineſt, ut citra fraudem, & injuriam procedatur, ob fraudem vero, vel data adverſarii opera, vel re ipſa interveniente, reſcindantur, vel reformentur negotia civilia ad æqualitatem, *l. 2. C. de reſcind. vendit.* ibique Doctores. Priori caſu, deceptus, cum nimirum aliâs non contracturus, ſeu fundum conducere nolens, ſub falſa promiſſione *perpetuæ coloniæ* ad contrahendum inducitur, qui tamen ſimpliciter rem tantum locatam accepit; electionem habet: contractum ſervare, an nullum dicere velit? ſi vero dolus ſit incidens, adeoque in modo contrahendi quis tantum deceptus, v. gr. ſi alicui ædes liberæ, ſeu certa quantitas agrorum, ab oneribus publicis exemtorum, promittantur, quæ tamen ſervituti, & omnibus oneribus poſtea obnoxia, reperiuntur: purgatur dolus actione ex illo contractu, in quo admiſſus, vel, re adhuc integra, exceptione doli. *l. 7. princ. & §. 3. ff. de dolo*, Carpz. *p. 2. C. 34. d. 9. n. 5.*

*Clauſula naturæ perpetuæ coloniæ, è diametro contraria, pro non ſemper non adjecta habetur.*

*Dolus vero omnibus contractibus obeſt.*

## §. XXVIII.

Non tamen propterea conditio, qua Domino prædii poſſeſſorem dejiciendi, vel canonem augendi, facultas da-

*Conditio, qua domino conceditur.*



tur,

*Facultas dejiciendi colonum non indiſtincte irrita cenſetur.*

tur, prorſus irrita cenſetur: quia ſubſtantialia immutata contractum neutiquam ſemper ipſo jure reddunt nullum; ſed eum etiam transformant in alium, pro ratione ſcil. circumſtantiarum, alterutrum fit, non præciſe prius. Omnia igitur cum grano ſalis intelligenda, ac explicanda veniunt, & non ſepoſitis fundamentis juris. Interim omnium negotiorum

Subſtantialia adeſſe debent,
Naturalia adeſſe,
& Accidentalia abeſſe poſſunt.

## §. XXIX.

*Jus territoriale pacta Subditorum non tollit.*

Verum enim vero, hæc ſententia Superioritati territoriali adverſa videtur, *k*) imo & ſaluti Reipublicæ, quæ aliâs ſuprema lex eſt; Reſp. Obligatio generalis Domini cujusvis territorii, in tuendis ſubditis, & conſervandis, non eſt modus, privato ex contractu, jus quæſitum auferendi, quippe quæ quidem magna, ſed non tanta videtur, ut exinde jurium correctio ſit introducenda, quæ omnimodo vitanda.

*Princeps.*

## §. XXX.

Ceterum, qui juri pro ſe introducto renunciat, ſibi, non

*k*) Un certain Fiſcal de France, mais grand novateur en ce, qui regardoit ſa charge, ſur tout dans des choſes, qui étoient de la derniere injuſtice, fut contraint de ſe juſtifier, & de rendre compte de ſa conduite à ceux, qui s' y trouvoient intereſſés; lui remontrant clairement, que ſon Procedé n' étoit point fondé ni en droit, ni en raiſon; vous parlez tres juſte, Meſſieurs, leur répondit le Fiſcal; mais comment cela, les remontrances, que vous me faites, ont elles rapport aux intérêts du Roi?

Celui, qui a de la prudence, & qui remplit bien les devoirs de ſa charge doit être auſſi capable de rendre raiſon de tout ce, qu'il fait; faute de quoi il échouë dans tous ſes deſſeins.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-113467-p0030-6

non publico, nocet. Publico potius violatio pactorum obeſt. Hinc Principes ſuum nemini auferunt *l. 2. C. ſi contr. jus vel util. publ. l. 2. ſi. 10. ff. ne quid in loc. publ. l. 4. C. de emancip. l. 8. C. de teſtam. l. 4. ff. de legat.* ibique Ddres. Sunt quidem Illi legibus civilibus ſoluti, tam quoad pœnam, tam quoad obligationem, *l. 31. ff. de legib. § ult. Inſtit. Quib. mod. infir.* immo etiam divinis ac naturalibus, quoad pœnam, ſolent tamen humanis legibus quoque ultro vivere; *l. 4. C. de leg.* quia juriſdictionem à Deo habent; idcirco jus divinum naturale, præcipiens fidem pactorum, neutiquam offendunt, nec dilectionem proximi, GAIL. *L. 2. Obſ. 56. n. 9.* quæ pars ſeu rivulus juris naturalis & divini eſt, BRUNN. *Conſ. 271. & 272.* ſed poteſtas judicandi de omnibus civium actionibus, ut principalis pars jurium Majeſtatis, eamque concomitans firmum propoſitum perpetuo & juſte agendi normat Principum actus PFEIL. *Conſ. 177.* Interim non negamus, Superiorem fraudes prædiatorum, ſeu Dominorum prædii colonarii probatu difficiles, prævenire, & illis augmentum canonis, Conſtitutione publica, interdicere poſſe: quo caſu contra legem è diametro veniens, à judice merito repellendus; quod maxime neceſſarium, quia omnibus poſſeſſoribus fere obſtat tricennalis difformitas canonis. *Idem d. l. n. 11. 12. & 13.* Verum ratione præteriti temporis ejusmodi conſtitutio non valet; quia lex obligat in futurum. Præterea etiam omnis ſalus publica debet eſſe evidens, v. gr. remiſſio damnorum, ob pacem publicam, quæ etiam in foro conſcientiæ valet, GAIL. *d. l. Obſ. 57. n. 2.* diſruptio ſuburbium Civitatis, tempore belli, in hiſce, & ſimilibus caſibus, gravior eſt cauſa publica, quam privata: & plenitudinem poteſtatis tunc demum præſumi, volunt Ddres. *Idem n. 8.* Aliás ſuadet naturalis ratio, neminem locupletio-

*ſecundum leges ultro vivit.*

*Jus divinum & naturale, quæ pars juris divini eſt, non offendit.*

*Lex obligat in futurum, ſed non ratione temporis præteriti.*

pletiorem fieri debere cum aliorum detrimento; quod omnino fieret, ſi ſubditus absque ſua culpa, jure, vel re, & pretio ſimul careat. Principes certe ſunt Sacerdotes juſtitiæ, qui huic regulæ neutiquam contravenire ſolent, nec prætendunt.

§. XXXI.

*Merces locat. perpet. in quo conſiſtat?*

Merces locationis perpetuæ non in ſola pecunia numerata conſiſtit, ſed & in frugibus, item in promiſſione facti, vel generali, præſtandis videlicet bigis, quadrigis, una vel altera vice, vel ſpeciali v. gr. in ducendis ſarracis, plauſtris, aut in pollicitatione vehendi Dominum curru ad certum locum.

§. XXXII.

*Communiter reſpondere ſolent præſtationes perpetuæ coloniæ viribus agrorum.*

Communiter reſpondere ſolent hujusmodi præſtationes viribus agrorum, & contrarium quoties apparet; non tam à cultura & cura, quam ab illatis in prædium potius provenisse, haud incredibile eſt: eo quod à ſeculo ad ſeculum, quo poſſiderunt ſæpiſſime *Villici* fundum perpetuarium, onera & ſervitia, ad triplum uſque, fere multiplicata inveniantur; Hinc augmentatio mercedis, aliâs certa ac ſtabilis, ſemper aſſiduis poſſeſſoribus ruinam minatur, ſi nil habeant, de quo aliunde ſibi, ſuisque victum & amictum quærere queunt, alienis vero diteſcendi opibus nullam ſpem, atque occaſionem relictam amplius videant.

§. XXXIII.

*Jus protimiſeos utrum competat Domino?*

*Jus protimiſeos* Domino colonario omnino non denegamus, quod forſitan ad imitationem *l. unic. C. Non licet habit. metrocom, loc.* 11. & juris congrui, vel ad exemplum emphyteuſis; & quidem prius pactione, poſt ea vero conſuetudine veriſimiliter introductum eſt. *Vid. l. fin. verſ.*

ne

ne hac occaſione C. de jure emphyteut. confer. l. 1. in fin. C. de Metallor. XI. ſed quia non datur emphyteutæ, quoties dominium directum alienatur; cum tamen naturaliter fides pactorum regulariter, & per conſequens exinde fluentia jura & utilitates, reciproca eſſe debeant, v. gr. vicinalis amicitia, communio rerum; vi cujus, alienaturus rem ſuam, præſumtive vult, ut potius illam vicinus & ſocius, quam alius habeat; hinc prædicta jura eatenus nævum habere videntur: quapropter res fiſcales defendentes, non aliter jus retractus Domino concedendum eſſe volunt, niſi & hoc quoque *Perpetuario* in alienatis rebus à Domino concedatur; præſertim cum jura retractus in re emphyteuticaria etiam ad bona cenſitica ſecundum RICHTER. *def.* 99. *n.* 60. applicari ſoleant; unde in jure retractus dominium non venit in conſiderationem, ſed communio rei, vel juris. Interim in terris Haſſiacis anno ſuperiori aliter judicatum fuit.

## §. XXXIV.

Non igitur, occaſione hujus materiæ, prorſus ſilentio prætereundam eſſe quæſtionem, quam Ddres plerumque movere ſolent, nobis perſuademus: *utrum in cauſis dubiis dentur caſus pro amico?* Negativam veriorem eſſe nullatenus dubitamus: Eſt enim actionum humanarum ſeminarium, & omnium virtutum radix, nil aliud quam amor, *l*) qui-

*Utrum dentur caſus pro amico, maxime in rebus dubiis?*



*l*) Amor hic eſt unica lex naturalis, cordibus hominum ante lapſum inſcripta; & prima virtus. Ut ex radice multi arboris rami prodeunt, ſic ex amore multæ virtutes generantur. Reſtauratur amor & umbræ rectæ rationis, illuminantur per fidem juri naturæ incognitam, & tunc dicitur charitas, ac durat in æternum 1. *ad Corinth.* 13. *v.* 8. amor vero reſultat non ex Evangelio, ſed ex lege. Aliâs ſubdividitur, majoris declarationis cauſa, in amorem erga Deum, ſe, & alios homines, cujus oppoſitum, amor ſui.

